

## C A M P A N I A F E L I X.

Sperneret, an coleret, dubitans: sperare Curules  
Campanis ausa auspiciis: unoque suorum  
Consule, ut imperium dixi attolleret Orbis.  
Quin etiam rerum dominam, Latiique parentem  
Adpetuit bello, ducibus non freta rogatis,  
Hannibalis jurata armis: deceptaque in hostis  
Servitium demens specie transiit herili:  
Mox ut in occasum vitiis communibus acti  
Corruerent Poeni luxu, Campania fastu.  
(Heu nunquam stabilem fortita superbia sedem)  
Illa potens opibusque valens, Roma altera quondam,  
Comere quæ paribus potuit fastigia comis,  
Octavum rejecta locum vix pone tueretur.

Causas etiam interitus tantæ urbis paucis indicat Silius Italicus:

Luxus & insanis nutrita ignavia lustris,  
Consumtusque pudor peccando, unusque relictus  
Divitiis probrosus honor, laceravit biantem  
Desidia Capuam, ac resolutam legibus urbem,  
Proximaque exitio truculenta superbia semper.  
Nec vitiis deerant vires: non largior ulli  
Ausonie populo (sic tum fortuna favebat)  
Aurique argenteique modus: madefacta veneno  
Assyrio manibus vestitis: medioque dierum  
Regales epula: atque ortu convivia Solis  
Depensa: & nulla macula non illita vita:  
Tum populo sacerdotum patres: plebesque senatus  
Invidia lacera: & collidens dissensa corda,  
Seditio: sed enim interea temeraria pubes  
Delicta augebat: pollutior ipsa sanctus;

& quæ ibi alia. Visuntur hodie ejus altero ab  
Nova Capua lapide peringentes ruinæ juxta  
templum D. Mariae Gratiarum. Ex sunt portæ  
semirutæ, amphitheatum, quod aliquo modo  
describit Laurentius Schraderus in Italiae mo-  
numentis, immensa porticum, thermarum,  
ædificiorumque publicorum rudera: præter  
hæc longa vastaque aquarum receptacula sub-  
terranea & castella, quæ, qualis & quanta fu-  
erit antiqua urbs, abunde testantur. Capito-  
lii Capuani mentio apud Suetonium in Tiberii  
principis vita cap. XL. Aurea, argentea, æra nu-  
mismata, gemma, marmora, aliaque summi luxus  
indicia quotidie ab incolis effodiuntur. Ex Anti-  
qua autem dirutæ ruinis Nova cœpit excitari, fe-  
liciterque crescere, quam conspicere jam nunc  
est ad sitam sinistræ Vulture ripæ, duodecimo  
ab urbe lapide, in planicie, satis magnificam,  
commodè habitatam, sed infrequentius; stra-  
tam silicibus, plateas habentem amplas & re-  
etas, altaque ædificia. Adluit eam ab ortu &  
septentrione Vulture, indeque in occasum  
reflectitur. Pons est supra amnem ex lapide in-  
signis. Templum S. Benedicti, dicatum fuisse  
creditur Isidi. Regitur iisdem magistratibus,  
eademque reipub. forma, qua Neapolis. Ejus  
mcenia Conradus, Friderici II Imperat. F. de-  
jicit, urbemque direptam calamitate adfecit  
ingenti. Aliam deinde non minorem cladem  
sustinuit sub Alejandro VI P. M. Episcopatum

Capua Nova evexit in Archiepiscopatum Ioan-  
nes XIV P. M. quum Othoni II Imper. Aug. co-  
ronam imponeret. Capuam Novam ortu suo no-  
bilitarunt Raimundus, Prædicatorum generalis  
magister xxxiiii, & Ioannes Antonius Cam-  
panus, scriptis clari. Multæ ibi nobiles familie.  
Post urbem Romam nullo in loco plures in-  
scriptions, sed vetustate admodum consumtae.

Rursum octo ab Capua millibus, urbs nova  
visitum Aversa, veteris Atella ruinis inædificata. Ab  
ea Atellana fabula; quæ quales, exponit Livius  
libro VII, Varro, Agellius, Macrobius, Iuven-  
talis, & alii. Earum scriptor, Ciceronis ævo,  
L. Pomponius Bononiensis. In collapsæ urbis  
vestigiis Robertus Guiscardus Normannorum  
dux, quum Capuæ hinc, inde Neapolis imperio  
imminaret, castra movisse, novæque urbis initia  
posuisse traditur; Adversamque ab re, uti adver-  
sus illa oppida excitatam, appellasse. Hodie  
nonnulla imitatione Anversa vel Aversa dicitur.  
Diruit usque ad fundamenta Karolus I, Nea-  
polis rex, ob Rebura gentis rebellionem. Epis-  
copatus gaudet dignitate. Templum habet  
cathedralē satis amplum: habuit & olim the-  
atrum ingens, cujus nihil nunc reliquum.

Non procul Atella septentrionem versus A-  
vella fuit, hodie Avellino. In libro Fisci Pontifi-  
ciæ urbis hujus præful Avellinus dicitur: Macro-  
bius Avellanæ nubes ab hac urbe nomen habere  
censem. Spectat eo fortean Virgilius libro VII  
Æneidos:

Et quos malifera despectant mœnia Abellæ.  
Patria hæc Ambrosio Leoni, qui de ea tres  
scripsit libros, tradens etiam à priscis Græcis  
Avellæ ab venti vertigine, hunc tractum perflante,  
dictam; à posteris Latinis vero Binsertum. Iu-  
xta Turrim Patriæ, vulgo Torre della Patria, Linterni,  
veteris urbis, supersunt indicia, situ per ameno  
& jucundo: Prefecturam aliquando fuisse, eo-  
dem jure quo Vulturenum, refert Festus. P.  
Cornelius Scipio Africanus hoc in voluntarium  
exsiliū concessit. Testatur Plinius lib. xvi,  
capite ultimo, sua astate in Linternino durasse  
prioris Africani manu satas olivas: item myrtum  
ejusdem in loco conspicue magnitudinis;  
& sub ea specum fuisse dicit, in quo manes ejus  
custodire draco ferebatur. Ab eo Linterna palus,  
hodie Lago della Patria, & Linternum fluvii no-  
men. Hinc itinere juxta mare millibus passuum  
quinque usque Cumæ villa fuit Servilii Vacce,  
hominis nobilis & opulentí, sed ignavi & solita-  
rii; de quo Seneca epistola LV.

Sequitur inde locus antiquissimæ urbis Cumæ.  
Conditores ejus Cumæ Euboici; qui ducibus  
Hippocle & Megasthene, cum Chalcidensibus  
in Italiam venerunt. Cumæ dictæ vel Κύοντας, id est prægnante (nam ibidem prægnans mulier  
fecunditatis omen ipsis dederat) vel ab undis,  
quas Græci κύματα vocant. Cumæ in monte ad-  
scensu difficiili arduoque positæ & ad mare spe-  
ctavisse,

*Nova Ca-  
pua.*

*Aversa  
olim Atel-  
la.*

*Avella.*

*Turris Pa-  
tria.  
Linterni.*

*Linterna  
Palus.*

*Cumæ.*